Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1291
Quelle:
Copyright:

ne etiam apud Graecos quosdam et in *Pseudodextri* Chronico venit.

V. *fol.* 86. Omisso *Alexandri* nomine Epistola: *Ad aristotilem magistrum suum de itinere et de situ Indie.* Jam indicatus spurius hic foetus isto *Vol.* ut *Index* docet. Ejus initium est: *Semper memor tui eciam inter dubia bellorumque nostrorum pericula. karissime preceptor* &c. Non optimum nactus Exemplar Librarius spatia vocum quandoque nuda destituit. Pagina 1. ab alia manu emendata est. In fine quaedam desunt.

VI. *fol.* 96. p. 2. *Liber belli magni allexandri hic incipit.* Videlicet ita: *Egyptii sapientes — ati* (nati, sati?) *Genere diuino primum feruntur permensi quod sunt terram ingenij peruicacia et ambitum celi stellarum numero adsecuti, quorum omnium nectaban prudentissimus fuisse comprobatur.* &c. *Nectabanus, Neptanebus, Anectanabus, Nectanebis* juxta putidam hanc Fabellam adsumta per magiam draconis forma *Jovem Hammonem* mentitus *Alexandri* ex *Olympiade* pater factus est, ut alia absurda taceam, quae per vitam *Alexandri* usque ad ejus sepulturam decurrunt in Exemplaribus integris; nostrum enim in narratione de *Candaulo* et *Ptolemaeo Alexandrum* simulante deficit, pluraque omittit alia, et inter cetera totum *Alexandri* cum *Bragmanibus* negotium, quod Fabulae consarcinator certe *Palladio* sublegit. Atque in hoc ipso loco deprehendisse mihi videor vestigium Patriae ejus; ait enim, *Alexandrum* a transeundo ad *Bragmanas* flumine prohibitum fuisse, *quod erant ibi yppotami multi — et cocodrilli*, quae μεταθεσις pro *Crocodili* in usu *Italorum* est. Ut ut se res habeat, mature Commentum istud prela invasit, et variis quidem linguis: Latina quippe *Argentinae* 1486. 89. 90. 94. *Romae* 1490. praeter Editiones *sine l. et a.* binas, quarum una f. *min.* 92. altera 4. folia 62. censet. Italica *Tarvisii* 1474. *Venet.* 1477. Belgica *Delphis* 1488. et 91. Germanica *Augustae* 1472. 73. 78. 80. 83. *Argentinae* 1488. et 93. Et hic quidem indigne *Eusebio* tribuitur; interpretem tamen tenemus *Johannem Hartlieb* Medicum versione sua *Alberto Bav.* Duci gratificatum, quem unde *Fabricii Biblioth. graeca* L. III. c. 8. n. II. *Mollerum* cognominet, nescio, quemadmodum nec *Jul. Valerium*, nec *Radulphum* Abb. S. *Albani*, aut *Galfredum Hemlingtonum* Fabulae nostrae hactenus autorem puto. Siquidem eam *Qualichinus* quidam *Aretinus* versibus elegiacis illigavit, ut *Fabricio l. cit.* p. 277. visum, Sec. saltem XIII. extitit.

VII. *fol.* 113. *Liber Soliloquiorum Beati Augustini.* Subpostitius ille et recentior, qui incipit: *Cognoscam te Domine cognitor meus* &c. Integer est, ut legitur *Opp. Augustini* edit. *Maur.* T. VI. *append. col.* 85.

VIII.